

QK 324.12

v. Thielau

Z f
645

ORATIO
QVA
VIRO NOBILI ET
CONSULTISS.

GEORGIO
THILONI
A THILAW,

J.C.

REVERENDISS. ATQ. ILLUSTRISS.
PRINCIP. LIGIO-BREG.
CONSILIARIO

IN REVERENDI PRESBYTERII LI-
GNICENSIS CONVENTU QVA-
DRAGESIMALI

A. C. MDCII.

XXVI. FEBR.

PARENTAVIT

ANDREAS BAUDISIUS
VRATISLAVIENSIS
ECCLES. PETROPAVL. PASTOR
ET SUPERINTEN-
DENS.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

K 2120 600



22. V
N O B I L I E T C L A R I S S.
V I R O
V A L E N T I N O
T H I L O N I
A T H I L A V V,
I N T I N T Z,
J. U. D O C T O R I C E -
L E B E R R.
A M I C O E T C O M P A T R I
V E T E R I E T
O B S.
I N T E S T I M O N I U M
A C A D E M I C Æ C O N -
J U N C T I O N I S
A C
S Y M P A T H E I A S C H R I S T I A N Æ
D E C L A R A T I O N E M
S I N C E R A M E N T E
O F F E R T
A N D R E A S B A V D I S I U S.



SON SOLENNIS TAN-
tum hujus diei actus, sed & veneranda ve-
stra, Viri Reverendi & Doctissimi, auctori-
tas, vultusque & oris in me conversio, jure
quodam suo a me postulare videtur, ut usitata pietatis no-
stræ exercitia, oratione aptâ, pleno sacrosanctæ Trinitatis
numine loco jucundâ, Reverendiss. & Illustriss. PRIN-
CIPI ac Domino, Domino nostro Clementissimo, gratâ,
Illustri REGIMINI acceptâ, dignâ tot Theologorum
præsentia, per politis divinæ pariter atque humanae sapi-
entiae et ingenii in medium proferam. Etsi autem non
latet me publici nostri congressus occasio, neque vestrum mihi
ignota gravitatis benevolentia: tamen si meos in di-
cendo intendam nervos, & temporis rationem paulo altius
mecum reputem: hoc opus, hic labor est. Necessaria
singulari pietatis amore ab Illustrissimis LIGNICEN-
SIUM ET BREGENSIUM DUCIBUS instituta,
& a Reverendis nostris Majoribus atque Antecessoribus,
in Domino placide quiescentibus, confirmata consuetudo,
certum Christianæ religionis articulum explicandum of-
fert: Pietas autem & arctissimum illud societatis, quo
inter nos devincti sumus, vinculum aurem vellit, & si-
bi etiam in hoc certu aliquid dicendum officiosè petit:
illi obtemperandum, inserviendum huic.

Ac ne alterutram læsisse videar, utriusque non
adumbrata idola, sed expressam in exemplo evidenti ide-
am vobis ostendam, de que CL. Consultissimoque Viro,
GEORGIO THILONI, dicam, de quo illud meri-
tò apud nos, quod apud Græcos de Amphiarao: Deside-
ramus te tanquam oculum nostri exercitus.

A 2

Si enim



Si enim illorum, quos Iehova replevit Spiritu sapi-
entiae & prudentiae, Spiritu consilii & fortitudinis, Spi-
ritu cognitionis & timoris Domini, memoria non oblita-
bitur, nosne hunc Virum honestam memoriam spoliabimus?
Quis nostrum hoc & aliis in locis, ipsius in audiendo at-
tentionem non animadvertisit? quis in judicando dexter-
itatem non cognovit? quis in decidendo sapientiam non
intellexit? quis morum gravitatem, vultus modestiam,
linguae humanitatem non est admiratus? Si, qui docti
fuerunt, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad
justiciam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeter-
nitates; quo majestatis & honorum splendore beatam hu-
jus Viri animam, in splendidissimo Electorum throno
nunc ornatam esse existimabimus? quo encomio in hoc
circo dignus erit? Si, ut Ambrosius ait in funere U-
L E N T I N I A N I Primi, in obitu fidelium Imperato-
rum quidam fidei pudor, quædam Ecclesiae verecundia
est: & in immatura morte piorum Principum omnis Ec-
clesiae pulchritudo mæstior: nullane fidelium Consilia-
riorum, qui sunt cor Principum, immatura ex oculis no-
stris in beatorum sedem translatio mæroris & mæsticie
simulacra relinquet? C O N S T A N T I N O Magno sci-
scitanti cur A I F X A N D E R S E V E R A S Imperator,
adolescens, Syrus, alienus a Romanorum sanguine, tantis
prædicetur laudibus? cum tot ante illum Romani Prin-
cipes, Tiberii, Clavdii, Domitiani, Commodi, consentien-
tibus omnium calculis & vocibus vituperarentur; respon-
sum esse ajunt, gubernationem A L E X A N D R I laudatam
& felicem Cancellarii U L P I A N I, quem familiarissimum
& charissimum Princeps habuisset, & Collegarum illius
Juriscon-

Jurisconsultorum, PAULI, SABINI, POMPONII,
CALLISTRATI, MODESTINI sapientiae, virtu-
ti, doctrinae ac moderationi adscribendam esse?

Si bené apud memores veteris stat gratia facti;
cujus animus hujus VIRI innumerabilia, quæ nobis sere-
nâ fronte obtulit, officiorum genera enumerabit? cuius
naturæ aut fortunæ facultates beneficiorum monumenta
pari laudum numero illustrabunt, ne dicam æquâ gra-
titudinis lance compensabunt? Si, quod ait Apostolus,
unum corpus sumus & dolente membro corpus dolet: tot
membris dolentibus & lugentibus, non dolebitur? non lu-
gebimus? Senex quidam in suos canos digitum intendens
dixit: Hac nive dissolutâ multum erit luti: Deus clemen-
ter avertat, ne fatalis hujus & aliorum iisdem ornatorum
donis, quorum fidei summa rerum concredita, necessitas
novos nobis etiam incommodorum pulveres importet.

Non autem propterea has in me dicendi partes rece-
pi, quod existimem VIR O Clarissimo commendatione
meâ aliquid accessurum glorie, illud, quod Lysander,
sentiens: Veram virtutem non egere laudibus, cùm i-
psa secum ducat suam laudem atque decus. Neque ideo
etiam tantam rerum molem aggredior, quod credam, me
recensendo virtutum, quæ in ipso fuerunt plurimæ, at-
tingere posse verticem, sed quó pietatis me vocat officium,
eo amoris impellit incendum, beneficiorum multitudo,
& doloris asperitas.

Dum autem VIRUM hunc amplissimum commen-
dere studebo, nemini in laudatissimo Illustrium C O N-
S I L I A R I O R U M ordine versanti, quicquam deroga-
tum volo, quin potius VIRIS illis Nobilissimis, doctri-

nâ eruditâ, prudentiâ singulari, virtute multâ, longo-
que rerum usu præstantissimis exercitatissimis que eam,
quam ipsorum pietas, doctrina, fides, merentur laudem,
sartam teatamque conservatam, omnibusque debito ve-
nerationis cultu prosequendam propono.

Erit igitur humanitatis nostræ benevolum hujus. U-
RI erga nos animum, in hoc religiosissimo Congressu æquo
vultu agnoscere: erit pietatis, subitam, at non incipinatam
mortem unanimi gemitu deplorare: erit gratitudinis per-
petuam tantorum beneficiorum memoriam conservare.

Ut autem inter nos extet erga piæ ac placidæ defun-
ctum exiguisima amoris nostri umbella, erga VIDU-
AM maxissimam τῆς συμπαθείας testimonium, erga Fa-
miliam societas luctus, erga Virum CL. VALENTI-
NUM THILONEM, f. U. Doctorem, hec præter Aca-
demicæ, quâ non ulla, teste nostro MELANCHTHONE,
cognatio potest esse dulcior, necessitudinis & amicitiae
μνημονιων amplissimum, hoc rerum theatrum ingrediar,
non ut singula evolvam penetralia, atque ex illis depro-
menda exponam, sed ea tantum, quæ fuerunt in oculis,
quæ manent in ore, de quibus nulla unquam ætas conti-
cescit, delibabo: Vos favete piis manibus, atque meo
propitiis vestris adeste animis.

Unde autem, ut memoria tua vindicetur ab obli-
vione, & conservetur apud posteros in Ecclesia, THILO,
incipiam? an à patriæ LIGNITII nobilitate? an à
Familie honestate? an verò à Parentum pietate? Hæc
volvens atq; revolvens talia esse reperio, ut non minorem
tua illis gloriae splendorem sapientia retulerit, quam ea
tibi largiri potuerunt nominis celebritatem. Si natu-
ra

ra fuit et Seriphius ingenio profecto Athenis dignus erat.
Felix tellus, quæ talem virum genuit! alma tellus, quæ
aluit! fidelis tellus, quæ non permisit, ut sortis vicissitu-
dine, aut mortis crudelitate tale pignus ē sinu sibi eripe-
retur! O LIGNITIUM! hunc tuum filium, hunc tu-
um civem, hos tuos cineres, quo amore prosequeris? qui-
bus ornabis honoribus? quam statuam, quæ trophæa eri-
ges? O LIGNITIUM, quis te tanti VIRI matrem
felicem non prædicet? quis non super æthera tollat? quis
te nutricem non exosculetur? quis inter tales Viros cor-
pus suum pulveri non committat? Æternam meretur lau-
dem CICERO, quod non ipsum ARCHIMEDEM
ab ipso Orco revocaverat, sed ignorata modò septa undi-
que & vestita vepribus & dumetis vestigia sepulchri
aperuerat: Quam tu mereberis, o LIGNITIUM, fa-
mæ gloriæ, quod tam in splendido loco auctoritatis tuae
Mecenates collocas, ut aurea favoris & amoris tui erga
pietatem, erga bonas literas effigies transeuntium splen-
dore suo perstringat oculos.

Natus est VIR optimus ex optimis Parentibus, GRE-
GORIO THILONI & MARGARETHA DOM-
KIA, anno illo, quo multa de constituenda Ecclesiarum
pace & doctrinâ religionis agebantur: quo natus summus
Imperii Romani Monarcha RUDOLPHUS II. Impe-
rator Avgust. & Dux Lignicensium Illustrissimus FRI-
DERICUS IV. laudatiss. memoriae, anno Christi mil-
lesimo quingentesimo quinquagesimo secundo.

Ingens veræ felicitatis reipublicæ, certissimum divinae
clementiæ argumentum, quod in Ecclesia, sonante incor-
ruptam doctrinæ cœlestis vocem & Sacramentis rectè
utente,



etente, natus fuit, quod multis retrō seculis fuerat rarissimum. Gloriatur ille, quod Græcus esset, non barbarus. Quoties, dulcissime THILO, gloriatus es, te Christianum esse, ac veræ Ecclesiæ membrum, non Ethnicum, aut fanaticæ turbæ asseclam? Natus est die BURCKHARDI. Erat Burckhardus: erat cor ipsius arx robustissima, cuius fundamentum non fissiles erant lapides, non saxa, non cæmentum: sed lapis Israel, lapis ille, quem DOMINUS Deus misit in fundamentis Sion, probatus, angularis, pretiosus, in fundamento fundatus: petra & rupes Davidis, murus Ierusalem. In cordis atrio non fulgebat Porphyrites, non Alabastrites, sed lucidissimæ ille, quæ in Aaronis Rationali lucebant, gemmæ. Nomen illi erat GEORGIUS. Erat γεωγέ: sicut enim impiger & sedulus agricola, exploratâ fundi naturâ, omnem laborem in eo subigendo, conserendo, occando ponit: ita ille cognitâ naturæ inclinatione inde pullulantia pietatis veræ & sapientiæ collegit semina, orando & laborando eradicavit zizania.

Quid de Parentum fide? Cūm ALEXANDER Magnus natus esset, PHILIPPVS Macedo ad ARISTOTELEM scripsit: Se non tantas diis gratias agere, quod filium ex Uxore OLYMPI suscepisset, quām quod eo tempore natus esset, quo posset ab illo clarissimis disciplinis institui. Pios hujus VIRI Parentes non ficticio alicui, sed vero DEO mentis holocausta & labiorum virtulos obtulisse, quis me etiam non monente non colligat? Melioris enim naturæ incitati stimulo, quo Imperator JUSTINIanus respexit videtur, affirmans, quod naturalis stimulus hortetur Parentes ad liberorum educationem,

cationem, id quod genuere, nutriunt, educant, instituunt επ πανδειχής οὐδεσίας κυρίδ.

Si, ut graviter Poëta Mantuanus monet,
sancta futura est
Posteritas, sanctos primūm decet esse Parentes.
Qui viret in foliis venit ab radicibus humor,
Et Patrum in natos abeunt cum semine mores.

Ut enim quisque suum filium vult, ita est. **C A T O**
M A N L I U M Senatu movisse & **H I E R O N** Epichar-
mu m pœnā affecisse fertur: quod ille moribus, hic verō
verbis Puerorum præsentiam non esset veritus. Melius
est vel non gignere filios, vel si eos genuerimus, de re-
ctâ eorum institutione primam curam suscipere. Opti-
mi autem Parentes optimos reipublicæ relicturi filios,
in primis de piâ eorum informatione fuerunt solicii.
Quâ de causâ nulla eos, si quasē privata objiciebat re-
mora, & œconomiae difficultas à suo proposito absterrere
potuit: sed quos à Deo ardentibus votis impetraverant,
eos iisdem Deo commendabant precibus, atque ē suo di-
missos inscholæ gremio reponebant. Neque pia isthæc
piorum Parentum juxta Dei voluntatem directa fefellit
spes & fiducia. Suffragatur nobis Ecclesia, adstipu-
latur Respublica.

Sapiens enim rerum gubernator & dispensator **D E V S**,
secundum illud: Meum est omne primogenitum, non
tantū natu majorem **G R E G O R I U M**, sed ab eo alte-
rum **A D A M U M** sibi reservavit; quorum ille etiam-
num mente & ætate integra in plantandâ vineâ Domi-
ni, cum multorum animorum salute, fidelem operam im-
pendit;



pendit: Hic verō ministerio verbi in Ecclesiâ LUBENENSI & FREISTADIENSI per annos XXVII. piē & laudabiliter defunctus, ante annos VII. CHRISTUM Crucifixum ovans ad cælum secutus est. Nostrum verō GEORGIUM, cuius parentalia recolimus, & VALENTINUM, cuius ingenij acies, judicij vigor, consilij promptitudo, domi forisqve Principibus perspecta Viris, Reipublicæ reliquit. An non amplissima paternæ pietatis & fidei documenta miremini, & exempla intueamini, quæ ut Solonis habet institutum τῆς ἀντιπελαγήσεω beneficia perpetuo cordis & oris obsequio illis rependunt? Si liberis, ut monet Euripides, non pulchritus munus aliud, quam liberos dici Parentis optimi, quæ non inde laus huic emergit familiæ? quæ non, si mora non ingrata futura, nobis hic se dicendi effundit seges? Ea enim, quæ propria erant, vocationis munia, ita prestitit, ut nunquam omnino neque privata voce neque publicorum illos notari, multis verō pietatem ipsorum prædicari adiverimus.

Ephebus noster GEORGIUS fundamento quidem pietatis & literarum in Patriâ posito, nondum tamen ad provincie alicujus administrationem satis excutius, gravi consilio annum etatis XVI. agens GOLDBERGAM missus est. In Illustri hoc gymnasio Rectore CL. Viro MARTINO THABURNO, quatuor circiter annos commoratus, eam sibi optimarum literarum cognitionem comparavit, ut tanquam ad mercaturam bonarum artium & graviorum studiorum Athenas Marchicas, anno CHRISTI supra millesimum quingentesimum septuagesimo tertio, adiret, & Gratiis simul ac Musis sacra faceret.



ceret. Ne autem in artium pelago incertus jam versus
Orientem delatus Theologorum degustaret sacra: mox
ruente cælo in Occidentem repulsus, Insularum longe re-
motarum divitias caneret: hinc in plagâ Septentrionale
arriperet Geometriæ ferulam; aut in Meridionali Astro-
nomiæ tentaret calculum: præter sacrarum literarum
notitiam, quam aliis omnibus præferebat, IURIS PRU-
DENTIAE sese addixit studio.

Necessariis in opulentissimo Academiæ emporio con-
quisitis ingenij mercibus, copiosissimam secum reportavit
supellecilem: quam domum reversus non abscondidit,
sed agendo magis magisque adauxit. Dona quippe DEI
usu crescunt & augentur in omnibus, qui illis cum gra-
tiarum actione recte ac sedulo utuntur, que & ipse ad
nominis divini gloriam & justitiae laudes promovendas
conservandasque convertit, quo fructu, nemini obscurum
erit. Ob tantam, tamque præclaram naturæ indolem
primum Illustriss. Principis HENRICI voto in aulam
vocatus est, cui per quinquennium fuit ab epistolis.
Quam egregia in primis ingenii herbis, diligentiae, cele-
ritatis & sagacitatis præbuerit indicia, illorum est com-
memorare, qui foro magna cum laude præfuerunt.

In exordio vitæ politice, cognito, quid sperandum
quidve timendum, annum agens tricesimum, de ducen-
tâ Uxore serio cogitare cœpit, animumque ad virginem
lectissimam optimeque moratam HAGNENSTAR ISI-
AM, quæ familia aliquot Viros Consulares ac Senatoriæ
dignitate præstantes Patriæ suppeditavit, appulit. Inter
hos tum temporis familiam ducebat Dn. MATTHIAS
STARISIVS, literarum & literatorum amicus & pa-

tronus singularis, qui unā cum Dn. LEONHARDO
KRENTZHEIMIO, Socero, Patre & Præceptore
meo, æterna memoriam dignissimo, auctor sua forque fuit
Cognatæ suæ in eundi cum THILON E nostro matrimonio-
nij. Conjugum istorum amore quid amabilius? conjuncti-
one quid suavius? conjugio, quod fuit placidum & tran-
quillum inque annum usque duravit vicesimum, quid
sanctius? Prædixerant eis Viri episcopici exultantes, con-
jugium suave & jucundum, quod votum & vaticinium
divina confirmavit benedictio. Etsi ipse non erat surdus,
neque ipsa cæca, quod Alphonsus in matrimonio ad concor-
diam stabiendam requirit, tamen reciproca erat in amo-
re flamma, mutua fides, unanimis consensus, unum velle,
nolle idem. Cū autem hic nulla sit felicitas ex omni par-
te beata, unum etiam deerat, & certe Conjugij palladi-
um. Non enim erant, qui eos assidentes oblectabant:
non parvulus avlā ludebat: non erat qui vultus refre-
rebat: non qui risu blando se materno pectori insinua-
bat: qui dulci balbutie appellitabat Patrem: in quo se
renatos videbant: quo superstite, se ne quidem unquam
extingvi posse putabant. Hic illis dolor erat, hec cura,
hoc desiderium. Qui autem scire potes, an non ea ipsa
sterilitas ingens fuerit felicitas. fortasse quod Anacharsis
dixit, nimis amassent, fortasse ad arbitrium non cecidis-
set alea.

Non habuerunt ex se nam liberos, non etiam vide-
runt mori: non exhilarati sunt eorum suavitate incunis,
non exanimati eorum pallore in sandapila; non audive-
runt crepundijs excitatos arridere, non etiam morborum
dolor ex cruciatis lamentari: qui patrem non sunt comi-
tati ins.

tati in aulam, jam non comitantur ad tumulum: quas
mater non est secuta in templum: eas neque in cœmiter-
ium sequetur: quorum honore non sunt gavisi, eorum
ignominiâ etiam non unquam sunt perturbati. Æquo
ergo ferebant animo: atque vulnus, quod divina infli-
gebat providentia, cœlesti obligabant balsamo: & qui-
bus rebus suis adesse non poterant, iisdem satis abunde a-
liorum, in primis vero egentium amicorum, adfuerunt li-
beris.

Honoribus dignis paulo post auctus, Provinciae Illu-
stris NOTARIUM per triennium egit: SECRETARII
ivero & CONSILIARII munere per annos XV.
Duce FRIDERICO IV. laudatissime memorie, &
Duce IOACHIMO FRIDERICO, Principe nostro
Clementissimo, summâ cum fidelitate ac diligentia per-
functus est.

Apud PERSAS Viri quatuor eligebantur, sapien-
tissimus, justissimus, temperantissimus & fortissimus:
Horum primus docebat Regem à Zoroastre acceptam Ma-
giam, alter suum cuique tribuendi officium, tertius av-
ream rerum mediocritatem, postremus heroicam animi
constantiam. Intelligebat enim gens sapientissima, in
his virtutibus salutem regni positam, censebatque illis
nullas opes pulchiores, honestioresque reperiri posse.
Hæcne præcipuas esse fateamur Viri politici virtutes?
Cultu divino nil certe salutarius: justiciâ nihil utilius:
temperantiâ nihil commodius: fortitudine animi & per-
severantiâ nihil melius.

Investigemus nunc, conversâ in THILONEM no-
strum animorum nostrorum acie, an in ipso etiam earum

virtutum extiterunt fundamenta. Quām divite singularum cultu ornatum Virum vidimus!

De pietate in D E V M, deque ardenti zelo & studio, quod dies noctesque animo infixum circumferebat, de voluntate, ardentiique conamine sinceritatis in religione conservandæ, quid ego nunc plurareferam? Sicut enim G E O R G I U S Regis filiam & ovem illi adjunctam e faucibus Draconis liberâsse fingitur: ita hic noster G E O R G I U S Cœlestis Regis filiam Ecclesiam & Agnum pro nobis in mortem traditum, salvum inviolatumque custodire, vimque omnem atque injuriam, si quam prævidebat, constanti animo avertere annitebatur. Cui enim ignotum? aut cui notius esse potest, quām nobis, Fratres in Christo dilectiss. quām frequenter concionibus nostris interfuerit? quām arrectis auribus dicta havserit? quām expressa veræ ad Deum conversionis signa ediderit? quā summisse ac Divinæ majestatis veneratione in cætu publico sacrosanctâ D O M I N I Cænâ usus fuerit?

Tanto in honore fuit apud D A R I U M Z O P Y R U S, ut cūm pomum punicum in manu teneret, dixerit, se non optare majorem thesaurum ullum, quām ut tot haberet Zopyros, quot grana sunt illius pomi: significans nihil utilius fidelibus hominibus. Quo in precio hic noster Zopyrus? quibus ornandus honoribus? Utinam tot essent T H I L O N E S Ecclesiæ & Scholis, non tantum quot grana pomum, sed

Quot stellas cœlum, quot pisces continet æquor.

Nulla certé dies illius memoriam animis nostris eximet, quā summâ fide & candore animi Ecclesiæ & Scholas,

las, atque in illis docentes & discentes, in Illustri hac di-
tione, omnibus officiorum & beneficiorum modis fovere,
tueri & ornare studuit. Aderat turbatis consilio, mæren-
tibus solatio, pressis auxilio, exulibus promovendi studio.

Agebat, ut Augustinus hortatur fratres, quod erat
bonum, & nunquam minus ociosus erat, quam cum ocio
osus in CHRISTO IESU. Quotiescumque igitur a
politica rerum defatigatione recreari desiderabat, ad
CHRISTUM CRUCIFIXUM tanquam ad amorem
unicum deflexit, & ab hujus fideli intuitu avelli non
potuit. Hunc sibi a DEO factum sapientiam, justici-
am, sanctificationem & redemptionem latabatur: hunc
verum SALVATOREM recte agnoscebat: hunc uni-
cum apud æternum PATERM INTERCESSOREM
in spiritu & veritate invocabat: hujus Capitis se mem-
brum, hujus Oculi pupillam, huic Uiti se vera fide inser-
tum palmitem non dubitabat. In eo totus in negocio erat
& ocio.

Vixit integer vita, scelerisque purus.

Castus erat animus: castum erat corpus: casta DEUM co-
lebat mente: casto uxorem charissimam fovebat amplexu-

In muneri demandati administratione, summa fidei
& religionis antiquæ observantia: ex Cypriano certus,
consiliorum gubernatricem legem divinam: secreta se-
cretè servabat, occulta occultè tractabat. Quid Avli-
cum, quid Consiliarium magis ornat & commendat,
quam virtutem, jus & æquum in se, inque aliis firmiter
servantem colere.

Sine vinculo Iuris & æquitatis civitas neque Respu-
blica stare potest: hoc rejecto regna nil nisi latrocinia.

Iusti-



Iusticiæ ergo studiosissimus, in ferendis sententiis erat
ανυπόκριτος, erat ἀποστολή πίκη, erat apertus εἰς candi-
dus, simulationem εἰς dissimulationem tanquam pestem
consiliorum fugiebat. Erat illi recte faciendi προίγεσις.
Iustitiâ temperabat consilia: justitiâ moderabatur acti-
onum eventus. Veniebat in forum amputatis mani-
bus: sedebat clavis oculis: audiebat puris auribus: lo-
quebatur lingvâ liberâ.

Qui coluit pietatem sancte, justitiam recte, sobrieta-
tem non amplectetur? præsertim cùm ea virtus illis in-
primis commendata esse debeat, quorum consilio εἰς auto-
ritate summa stare solet εἰς florere Respublica. Vinoſi
ad consulendum minimè idonei, siquidem salubrium con-
ſiliorum parens est sobrietas. Ebrietas vero, autore Au-
gustino, auferit memoriam, dissipat sensus, confundit in-
tellectum. Ebrietas, teste Origene, facit de homine be-
ſtiam, de robusto infirmum, de prudente fatuum.
Sobrietas autem, mediocritatem servans, appetitiones do-
mat, ignaviam expellit, dicta, facta, cogitataque ratio-
nis finibus concludit. Sobrietas nihil turpe fieri pati-
tur. Ea voluptatibus imperat, ne modum excedant:
εἰς in omnibus recti honestique ratione constare jubet: non
ſinit extolli prosperis, non dejici adversis, sed in utrâque
fortunâ constantiam animi præbet. Illius odio, hujus
amore, nuptiarum solennitatibus εἰς conviviis rariſſime
interfuit: domi ſeſe continuit: cum mutis amicis de ar-
duis conferebat tacitus: cum Uxore εἰς Fratre aliisque
amicis viventibus εἰς præsentibus familiariter est conver-
ſatus. Nam solutus vino εἰς aliorum fabulis provocatus
facilius labi εἰς autoritatem amittere potest.

Gravis



*G*ravis, severa, composita & mansuetudinis ac facilitatis lepore morum erat condita temperies, qua omnes omnium ordinum homines mira & incredibili humanitate sibi devinciebat. Apud superiores erat placidus, apud pares amicus, apud inferiores benignus, quibus tanquam philtro in sui admirationem singulorum convertebat animos, favorem conciliabat, amicitiam obfirmabat, benevolentiam ardentiorem excitabat,

Nolebat in pessimorum inimicorum, dante Gellio, assumi commercium, qui fronte sunt hilari & corde tristi, quos neque ut apprehendas, neque ut amittas scire potes: non aliud in ore aliud in pectore latitabat absconditum.

Jam vero fortitudinis & constantiae THILONIS quae potest par commendatio reperiri? Fuit labor in negociis, industria in agendo, dexteritas in conficiendo, consilium in providendo, felicitas in amovendo.

Sunt haec in Avlico non vulgaria, sed praeter haec præstantiora nobis exhibuit: perpetuo sibi similem in religione fidem, ardentem in confessione constantiam, firma in promovendis Ecclesiarum & Scholarum ministris consilia, æquabilem in cruce animum. Cujus hic nitar testimonio? An non singularis Scholarum Patronus erat? An non magnus ordinis nostri Mæcenas? An non gravis nostrorum congressuum spectator? æquus orationum auditor? acutus intricatissimarum causarum matrimonialium judex? certissimus & fidelissimus nostrorum in aula gerendorum promotor? Aliud quis dixerit? testatur id spectatissima nostrorum conventuum corona: testatur civilis sapientum virorum confessus: testatur denique boni cuiusque candor & integritas. Quoties ille vidua-

C rum

rum vidi mærorem, audivit pupillorum gemitus, miratus est pauperum querelas? Fuit certe instar Patris pupillis, & loco viri matri illorum.

Positis tabulis scriptis se ad arbitrium Illustrissimi PRINCIPIS optimus VIR abdicaverat, in ampliore illâ constitutus & confirmatus dignitate, in amplissimo Patrum hujus Illustris Ducatus Ordine, Senatuq; Aulico non postremum obtinuit locum. Quantâ cùm dignitate honores illos subierit: quantâ cum utilitate totius patriæ sustinuerit; quid opus, præsertim apud eos, q; vorum ante oculos interque manus sunt omnia, majore verborum numero exponere? Quoties in curandis & constituendis politiæ honoribus, morem, sapientiamque Illustriss. nostri PRINCIPIS intueor, toties illud incidit PHILIPPUS Macedonis, significantis inutile Reipublicæ subinde mutare duces, sed satius esse, quem idoneum ac fidum nactus sis, eum non mutare: ATHENIENSES sibi magnoperé beatos videri solebant dicere, quod quotannis invenirent decem, quos belli duces crearent, cùm ipse multis annis unum duntaxat belli ducem reperisset Parmenionem. Sapiens prefecto hoc Illustriss. PRINCIPIS factum, quod eum qui totos viginti quinque annos in Aulâ vixit, cuique omnes rationes cognitæ, non rude donavit, sed in altiori dignitatis gradu non absque gravi consilio collocavit. Existimemus illud prudentiæ acumen, quod hactenus in ipso mirati sumus, in iis providendis, quæ fuerunt salutaria, non majora indies acquisivisse incrementa? Existimemus eam animi fortitudinem, quæ semper fuit in iis rebus, quæ patriæ fuerunt utiles, decernendis, fractim cecidisse? Existimemus eam au-

tori-



toritatem, quæ in juvenili florebat pectore in iis, quæ vera & justa, evanuisse? Non credo. Usus enim teste Plinio efficacissimus rerum omnium magister.

Et senior longo factus prudentior usu,
Præteritos meminit casus, aperitq;e futuri
Temporis eventus, vitæq;e pericula monstrat.

Optimum virum G E O R G I U M T H I L O N E M, bené natum, bené educatum, bené vixisse demonstravimus, quis vitæ exitus manet? Quem Patris exemplo monitus, jamdudum suo impresserat animo, quem D E O volente anno etatis sue quinquagesimo attigit, dum in Christo pié ac placidé VI. Febr. circiter horam octavam matutinam obdormivit. Non enim demens mortem metuit, non mortem optavit, sed prudenter expectans cum quodam ex veteribus dixit: Hodié pœnitentiam agam, ut cras in me Domini voluntas fiat. Ad agonem enim sustinendum animo præmeditato accessit. Artem quippe bené moriendi longé anté rectissimè didicerat, quod cuivis pio obvium esse potest ex σκιογραφίᾳ & delineatione illâ primâ, quâ ejusdem quasi principia ipse T H I L O noster, ante annos complures complexus est, quæ ita habent;

Considera Christiane frater

Naturam, in quâ natus:

Gratiā, in quam vocatus:

Gloriam, in quam transferendus:

Corrige in pœnitentiâ Naturam:

Sectare in fide Gratiam:

Suspīra in Spiritu Gloriam.

Ex iisdem postea C I R C U L U M illum suum [quem

C 2

boc in-



hoc indiget avit titulo] COGITATIONUM, EXERCITIORUM ET DESIDERIORUM HOMINIS CHRISTIANI, summo SPIRITU S ANCTI fervore & sapientia singulari confecit. Talis autem est ille:

In MUNDO honeste quidem ex conjugio, at filius irae in peccatis, NATURA natus:

In ECCLESIA vero CHRISTI pie in Baptismo filius Dei ex Aquâ & Spiritu, GRATIA renatus.

In MUNDO & ECCLESIA, ut abnegato MUNDO illuminatus Dei gratia pie, justé, sobrie vivam:

Expectans in gaudio luctuque commissæ vocationis beatam spem, honeste, pie, beaté, hoc est, in DOMINO, ex hoc mundi diversorio in cælestem patriam ad DOMINUM ut abeam:

Faxit gratia PATRIS Æterni;

Virtute & efficacia SPIRITUS Sancti;

In Mediatore CHRISTO JESU, eoque Crucifixo;

Qui factus est mihi à Deo Patre, Sapientia, & Justitia, & Sanctificatio, & Redemptio.

Ideoque hunc UNVM TRINUM DEUM scio, unum novi, unum colo;

Secundum VERBI normam & SACRAMENTORUM manuductionem,

Hic in FIDE quæ per Charitatem erga DEUM & HOMINES est efficax;

Isthic ad faciem in GLORIA & Perfectione cœlesti;

Ubi post resurrectionem Justorum Deus erit & manebit omnia in omnibus.

Hoc ratum, hoc fixum, hoc mihi votum:

Cætera præ supernis irrita, vana, nulla.

O JESU

OJESU C H R I S T E Fili D E I V I V I
Crucifice pro nobis & resuscitate;
Tu scis omnia: Tu potes omnia:
Tu es mihi omnia:
Sicut ergo scis; sicut vis; sicut potes;
& sicut ego indigo:
Ita tu miserere mei.

TE G E Q U O D F U I :
RE G E Q U O D F I O :
DO N A Q U O D E R O :

U T **T**u i similis, **T**e videam sicuti es: **T**e-
que P A T R E M que tuum & S P I R I T U M S A N-
C T U M, U N U M S O L U M V E R U M D E U M,
cum omnibus sanctorum Angelorum & Hominum cho-
ris cœlestibus, latus laudem & celebrem in omnem eter-
nitatem. Amen. Amen. Amen.

Acut seipsum ad beatam ex his terris migratio-
nem exsuscitaret, has sui cordis penetralibus voces su-
vissimas non tantum inscripsit, verum etiam frequenter
repetere consuevit:

Disce mori vivens, moriens, ut vivere possis.

Vive diu, sed vive Deo: nam vivere mundo
Mortis opus; Viva est vivere vita Deo.

Vita piis mors est, mors veræ janua vitæ,
Hanc reserat Christi vulnere nixa fides.

Maxima nosse mori vitæ est sapientia: vivit,
Qui moritur: si vis vivere, disce mori.

C 3 Sic ego



Sic ego qvotidiē de lecto surgo precando,
Ut mens ad mortem sit duce læta Deo.

Nil scio te præter Crucifixum Christe Redemptor :
Tu mihi Christe mane, sic bona cuncta manent.

Vivo tibi, moriorqve tibi, dulcissime Jesu :
Mortuus & vivus sum maneoqve tuus.

Vale munde : migrat ad CHRISTU M anima mea,
spiritus meus in Paradisum. Sepelite corpus mortu-
um peccato. Valete sancti & seqvimini.

Cum CHRISTO moriar, cum Christo ex morte re-
surgam.

Cupio dissolvi, & esse cum CHRISTO.

Etsi ergo TE in opinata, TE ó optime THILO,
apoplexiæ vehementia, ex his nostris oculis, ex hoc am-
plexu eripuit : tamen firmiter credimus, TE jam ante
Dei faciem in seruo CHRISTI, quem in animo & ore
habebas perpetuò, quem spirabas & sperabas unicum, læ-
tum triumphum agere.

Lugebimus nunc amici sortem ? Luges VIR Con-
sultissime, cum universâ domo & Familia FRATRIS
obitum ? Tûne Maritum tuum,

Quem vultu moriente vides lingvaqve cadente,
Vidua mestissima, ex augustissimo illo pacis & tranquili-
tatis domicilio, a facie Dei, e sinu ABRAHÆ, Ange-
lorum cætu atque Electorum consortio, lacrymis tuis tan-
tâ copiâ effusis ; Tûne tuis singultibus, ejulatibus & que-
relis tristissimis, in hoc discordiarum pelagus, in hanc la-
crymarum vallem, in tuum complexum, in tuas ulnas,
in amplissimum CONSILIARIORUM ordinem, in
civium societatem, in amicorum conversationem revoca-
re conaris ?

Muta



Muta domus, fateor, desolatiqve penates,
Et situs in thalamis & mœsta silentia mensis.
Tu prohibe manare genas, noctesqve profundas
Dulcibus alloquiis, precibusqve fidelibus imple,
Et periisse nega, desolatumqve maritum.

Hanc nostri doloris acerbitatem, quam sincerus nobis amor peperit, mitiget & vincat æternatua, A M I C E dulcissime, felicitas. Tuâ enim causâ, THILO felicissime, non lugeamus: sed nos ipsos adspicientes, nostræ conditionis fragilitatem consideremus. Nos in naturæ tenebris & peccatorum vinculis obstricti tenemur: Tu in lucem libertatemque translatus es: Nos hic in sudore vultus nostri terram colimus: Tu promissam piis hæreditatem possides: Nos in hoc miseriарum Oceano inter Scyllam & Charybdim horrisonis agitati procellis laboramus: Tu in tranquillitatis asylo quiescis:

Nos anxia plebes,
Nos miseri: qvibus unde dies suprema, qvis ævi
Exitus, incertum:

Tu dubios casus & cæcæ lubrica noctis
Effugis, immunis fati.

Nos hic perpetuam exercemus militiam: Tu militando bonam militiam, retinendo fidem & bonam conscientiam, confecisti cursum.


Corpore fusus humi, lucem aversaris iniqvam;
Mente Deum cernens, æternâ in luce triumphas.

*Quod superest, DEUM, qui dat salutem Regibus,
& à quo omnis sapientia & intelligentia promanat, eam
que confert potentibus & invocantibus in verâ agnitione.*

Z/645 OK
gnitione & fide MEDIATORIS, non strepitu labiorum, sed corde sincero ardenter rogemus, ut Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. noſtrum Principem ac Dominum, Dominum JOACHIMUM FRIDERICUM, Ducem Silesiae, Lignicensem & Bregensem, Archiepiscopatus Magdeburgensis Praepositum, Dominum noſtrum Clementiſſimum, cum Illuſtrissimā CONIVGE & generoſiſſ. utriuſque ſexu Prole, quām diutiſſimē ſalvum & florentem conſervare, ac totius gubernationis labores, ad ſui nominis gloriā, Eccleſiarum & Scholarum in hoc Illuſtri Ducatu, atque omnium noſtrum evidentem utilitatem provehe-re dignetur.

Largiatur etiam Magnifico noſtro Domino CAPITANEO & Nobiliſſ. Dominis CONSILARIIS, praeter valetudinem firmam, cor sapiens & intelligens, ut & ipſi, quā hacten ſumma præſtitcrunt fide, in iſtā nego-tiorum mole & varietate ſalutem Eccleſiarum & Scholarum ſibi habeant commendatam, magnoque totius patriæ commodo quām longiſſimē ſupereffe queant.

D I X I.




LIGNICII
Typis Nicolai Sartorii.




WON

MC.

QK 324.12



X 2120 690



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow
Magenta Red Orange White
Black Grey Dark Blue Dark Grey

